



HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


VE RI TAS

DE LOCIS QUIBUSDAM, QUI IN ASTRONOMICON, QUAE MANILII FERUNTUR ESSE, LIBRO PRIMO EXSTANT,

AB HOUSMANO, BRITANNORUM VIRO DOCTISSIMO,


NUPERRIME CORRUPTIS

SCRIPSIT

A. KRAEMER
FRANCOFURTANUS.

MCMVI.

TYPIS KNAUERORUM FRANCOFURTANORUM
(AD MOENUM.)


HARVARD COLLEGE
NOV 6 1907
LIBRARY.

CIVITATI SUAE[1] WILINABURG
DIEM NATALEM CELEBRATURAE MILLESIMUM
HASCE VINDICIAS MANILIANAS
D. D. D.
AUGUSTUS KRAEMER.

Non detestari, sed intelligere.

In Manilii, qui fertur, Astronomicon libris post novam editionem (Corpus poetarum latinorum ed. Jo. P. Postgate, Londini 1900), quam comparavit Bechertus, vir doctissimus, multa inveniri, quae non satis certa aut plana sint, quid mirum in eo libro, cuius, quae esset recta emendandi ratio, idem ille Bechertus post Breiterum[2] luculentis primus exemplis demonstravit, qui quod ab erroribus non omnino munitus fuit[3], temporum ratione facile excusatur!

Atque his quidem temporibus quamquam haud ita pauca viros doctos, qui in huius poetae verbis sat saepe perobscuris vel interpretandis vel corrigendis operam posuerunt, optime emendasse nemo infitiabitur, tamen non satis explorato artis laborisque quasi fundamento — fontium nimirum, e quibus suam hausit doctrinam[4] et generis dicendi[5], quo usus est, parum ratione habita — fieri non potuit, quin ad falsam nonnumquam opinionem laberentur et certae viae ignoratione longius a fine aberrarent. Itaque factum est, ut nunc maxime haud ita raro suum Manilio reddere oporteat et ipsius verbis restitutis et reiectis eorum erroribus, quorum opiniones dictu potius speciosae quam verae videntur esse[6].

Quod exemplis ex libro ab Housmano, Britannorum viro doctissimo, nuper edito[7] repetitis nunc comprobaturus sum.

Atque in medium procedant

Manil. I 25, 79, 385, 410, 779, 786, 790, 750.

Sed priusquam de iis locis agam, quos ab Housmano corruptos esse mihi persuasi, de v. I 7 paucis tractabo, de quo Kleinguentherus coniecturam protulit, quam emendationem esse negamus. —

In Astronomicis enim sic exstant vv. I 7sq.:

Hunc mihi tu, Caesar, patriae princepsque paterque,
Qui regis augustis parentem legibus orbem
Concessumque patri mundum deus ipse mereris,
Das animum[8], viresque facis ad tanta canenda.

Haud ita paucis Manilii interpretibus non placuisse versum 10., utpote qui brevem syllabam «is» verbi «facis» non haberet positione productam notissimum est. Gaudeo maximo opere, quod Housmanus, quem, cum esset κριτικώτατος, ut Graeco nomine utar, quo Krollium (Mus. Rhen. 44 p. 559) eius acumen non male signavisse concedes, pessumdare, ut ait Birtius[9], et undevicesimo et vicesimo[10] post Christum natum saeculo vidit Orbis Terrarum, Graecanico, quod vocavit, artificio poetam usum esse statuens eum versum, de quo tractaturi sumus, non mutat, cum semel atque iterum ad tantam audaciam progredi non veritus sit, genuina ut Manilii verba corrigere studeret. Eodem artificio productam syllabam habet poeta, de quo agitur, etiam v. I 876, cuius probabilem medicinam se nondum repperisse etiam Kleinguentherus confitetur, is qui eum versum, de quo subdifficilis orta est quaestio, iussit sic prodire:

Hunc . . . . .
Das animum viresque habiles ad tanta canenda.

Quod alio loco interpretando explanavi[11]. Sine dubio enim erravit Kleinguentherus, cum diceret adiectivum habiles et ad animum et ad vires esse referendum (p. 16). Nec magis verum vidisse eum censeo verbum faciendi superfluum esse dicentem. Etenim postquam in totius carminis initio (vv. 1—7), qua de re agere aggrederetur (v. 4) exposuit, Augustum, carminis patronum[12], sic allocutus est:

Et hunc mihi das animum et vires facis[13], tu, Caesar, ad tanta canenda. Minime ego equidem dicam «facis» supervacaneum esse: immo non caret suo tamquam acumine. Namque ipse astrologiae studiis deditus[14] primus Romanorum imperator, illum poetae dederat animum, uti ea canere inciperet, quae his pronuntiavit verbis:

Carmine divinas artes et conscia fati
Sidera diversos hominum variantia casus
Caelestis rationis opus, deducere mundo
Aggredior primusque novis Helicona movere
Cantibus et viridi mutantes vertice silvas.
Hospita sacra ferens nulli memorata priorum.

Praeterea autem, cum bellis confectis Musis denuo, ut ita dicam concessisset locum — poetas nimirum omni modo eum adiuvisse quis tandem est, qui nesciat! — atque veteres, ut ait Horatius (c. IV 15) artes pace civibus reddita, revocavisset, optime laudat Manilius patrem patriae[15], carminis patronum, dicens hoc fere modo: vires quoque facis, tu, Caesar, ad hoc opus et suscipiendum et conficiendum, quod ante me nemo est ausus, namque surgit opus[16], non ullis ante sacratum carminibus.

Ecce et auctor est operis et fautor secundum blanditias et assentationes poetae Augustus, pacis salutisque restitutor! Consimili ratione Ovidium quoque locutum esse scimus (trist. II 561):

Aspicias, quantum dederis mihi pectoris ipse!

Ovidium dico, qui fast. II 709 pacem laudibus extulit hisce versibus[17]:

Ipsum nos carmen deduxit Pacis ad aram.
Haec erit a mensis fine secunda dies.
Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
Pax ades, et toto mitis in orbe mane.

Quae omnia, cum luce sint clariora, ceteras de v. Astr. I 10 coniecturas, quas vv. dd. protulerunt, retractare nolo: adeas

Luciani Muelleri clarissimum de re metrica librum (ed. II. Petrop. et Lips. 1894 p. 36) atque inspicias et Housmani et Kleinguentheri notas, quibus quae addam, non habeo nisi quod facillimam medelam esse putaverim:

Das animum, viresque facis tu ad tanta canenda.

Facile error — si qui error est — explicatur: qui scripsit, pronuntians legit t'ad, in scribendo sive interiectionem tat esse interpretatus sive gravitate linguae commotus omisit t literam. Pronomen autem tu saepius elidi notissimum est, e. g. Verg. Aen. I 289 et Catull. c. XXX, 11. —

Nunc, quoniam de Kleinguentheri coniectura satis multa verba fecisse mihi videor, ad eos locos transeamus, qui quin ab Housmano nuperrime corrupti sint, dubium esse non potest. —

I 25.

In earum autem coniecturarum numero, quae maxime memorabiles esse videantur, Ellis in Hermath. vol. XIII. No. 30 (1904) p. 9 ponit eam, qua facta sic procedunt v. I 25 sq.:

Quem primum *ulterius* licuit cognoscere terris
Munere caelestum? Quis enim condentibus illis
Clepsisset furto mundum, quo cuncta reguntur?

Quamquam non is sum, qui negem ultra, intra, ultima, intima, similia saepe confundi, tamen, priusquam interius, quod uno omnium librorum consensu traditur, commutes, num omnino necessaria sit mutatio, quaerendum esse arbitror.

Atque ut Vergilius in versuum initiis (I 1; 119) bis habet arma virum in primo Aeneidis libro, ita in eiusdem libri duorum versuum principio apud Manilium hae voces (I 23; 363) reperiuntur:

Quem primum —

non neglecta illa vel optimorum poetarum consuetudine versuum sive fines sive initia semel inventa iterandi.

Interrogantibus autem quid sit ulterius cognoscere, ita respondet vir doctus, uti explicet: ultra terras cognitionem proferre (to extend his knowledge beyond the Earth, Ellis).

Quod vero Bentlei coniecturam haud dubie falsam Housmanus ob eam[18] causam, quod v. 31. verba caelum interius sequantur improbabilem putat, errat, id quod ex iis, quae de iterationibus infra statuemus, luce clarius apparebit. Erravit etiam Krollius, quem recte hunc locum interpretatum esse censemus (Mus. Rhen. t. LX, 1905, p. 559), cum ab omnibus eum interrogationis signo a ceteris separari diceret (man fasst 125 allgemein als Frage). Nam olim Barthius[19] vulgarem lectionem, quam corruptam increpuit, interrogandi nota impeditam esse dixit; atque ante hos duodeviginti annos P. Thomas[20] in libellulo, qui inscribitur lucubrationes Manilianae (recueil de travaux publiés par la faculté de philosophie et lettres, 1er fascicule, Gandavi 1888, p. 1 et 2) quem (scil. mundum) esse non interrogativum, sed relativum pronomen statuens — assentientibus cum aliis tum Rossbergio et Breitero[21] — puncto, quod vocant, sententiam finivit. Quo facto veram interpretationem exsistere non negabitur:

Qui mundus terris (sive hominibus) innotuit primum munere caelestium sive beneficio deorum.

Quae cum mire cum Krollii[22] sententia congruant, a vero eos viros, quos dixi, non aberravisse putem, praesertim cum non sit dubium, quin ita tandem verba «munere caelestum» eo, quo hic opus est, pondere premantur, atque pulcherrime opponantur insequentibus verbis: condentibus illis. Itemque de verbi huius enuntiati licet constructione, quae prompsit Krollius, probo, quidquid dicit Housmanus de voce licet atque accusativo infinitivoque[23]. Iam vero quod pravissime superioribus appendiculae loco pronomine, quod dicitur, relativo ea adnecti ille putat, quae versuum 25—112 primariam sententiam inducerent, errat: immo aptissimum esse ad tran-

situm parandum ab exordio ad expositionem atque ab expositione ad rationem[24] quam vocant logicorum periti, cui est ignotum? — Neque igitur dubium est, quin falsa sit Housmani coniectura.

179 sq.

Sed cum longa dies acuit mortalia corda
Et labor ingenium miseris dedit, et sua quemque
Advigilare sibi iussit fortuna premendo,
Seducta in varias certarunt pectora curas;
Et quodcumque sagax temptando repperit usus,
In commune bonum commentum laeta dederunt.

Doch als Sinn und Verstand sich schärften im Laufe der Zeiten,
Zwingende Not Talente verlieh, und der Drang des Geschickes
Jedem zu wachen gebot für die Wohlfahrt eigenen Lebens,
Wandte sich wetteifernd der Trieb zu verschiedenem Wirken;
Was nach manchem Versuch auffand die gereifte Erfahrung,
Brachten sie freudig herbei und gaben es hin zum Gemeingut.
(Merkel.)

Optime haec Manilius, uti satis mirari nequeam, cur mutandi studio arrepti varia varii proposuerint viri docti. Laudandos igitur arbitror et Jacobum et Freierum, quod tradita verba in suas receperunt editiones Astronomicon. Primus, quoad video, Hauptius Jacobum recte acquievisse in molesta postremi versus oratione videtur negasse, in quo commentum inutiliter additum esset; Bentlei emendatione

In commune novum commentum laeta dederunt

meliorem fieri orationem, bonam atque elegantem non fieri. Quamquam ea, quae scripsit Bentleius et «in commune» et «novum commentum» a Romanorum loquendi consuetudine non abhorrere fatendum est, tamen de iis verbis, quae omnibus codicibus servantur atque optime possunt explicari ... in com-

mune bonum ... nihil esse puto immutandum. Ut enim apud Livium ac Sallustium scriptum videmus «bonum publicum», ita apud alios scriptores legitur «commune bonum». Velut Seneca de otio sapientis 1 (28) 4 haec habet: Certe Stoici vestri dicunt: usque ad ultimum vitae finem in actu erimus, non desinemus «communi bono» operam dare, adiuvare singulos, opem ferre etiam inimicis etc. Apud Lucretium invenitur commune bonum V 458, quem locum Manilium imitatum esse apparet. Seneca (de clementia III 2) scripsit: inter nos, qui hominem sociale animal, communi bono genitum videri volumus. Ipse Hauptius allato ex Sil. Ital. VII 336 ita Manilii verba restituisse sibi videtur, ut scribat: in commune bonum commenti laeta dederunt.

Sed ne formam «commentum», quam habent codices G et L[26] ita defendamus, uti genetivum pluralis esse dicamus, ipsius huius formae ambiguitate monemur. Attamen commentum servandum est. Nam quisquis de vi atque usu huius vocis evolverit scriptores [Flor. 1, 11, 2; Ulp. dig. 27, 9, 9; Justin. 21, 4, 3 et 22, 4; Liv. I 19; Suet. Vesp. 18 (commentum mechanicum), Ser. Andr. 1, 3, 20 (ipsis commentum placebat), Cic. nat. deor II 2; Plin. 22, 56, 1 et 35, 47, 1; Sen. epist. 90, 25 (vilissimorum mancipiorum commenta[27])], in ea nihil hic mendi neque quod offensioni sit, inesse confitebitur, praesertim si secum reputaverit haud ita raro poetas ea constructione uti, quae Graeco vocabulo πλεονασμός appellatur. Atque etiam adiectivum laeti[28] opportunissimum esse quis neget? Quodcumque enim commentum pectora, ut ait poeta, quae in varias curas seducta certaverunt, excogitando reppererunt, id laeta dederunt in commune bonum, i. e. communi omnium saluti impertierunt. Ac ne Bentleius quidem commenti vocem inutilem esse dixit, sed adiectivum bonum mutavit. Falsum igitur est, quod Housmanus fabricatus est:

quodcumque .....
commenta elata dederunt.

Incertissimorum commentorum multitudinem auget sua coniectura Ellisius (coniunctim proponens), cuius exemplo monemur, ne vana opinionum commenta creduli admiremur. Nescio num omnino alicubi inveniatur apud poetas hoc adverbium. Neque ignorans coniunctim legare aliquid apud iuris consultos esse rem aliquam simul legare pluribus, ita ut eius singuli partem accipiant (Pompon. Dig. 30, 16; Paul. ibid. 33 etc.), tamen plerumque alia ratione adhibetur: omnis pecuniae coniunctim (id est: una a marito atque a coniuge) ratio habetur (Caes. b. G. VI 19); Liv. 6, 40, 9 (coniunctim omnes rogationes accipere); senatus cons. apud Cael. ad. Cic. fam. 8, 8, 5 (coniunctim de aliqua re a consulibus refertur) Nep. Att. 10 etc.; Cic. invent. 1, 7 (var.: coniuncte).[29] Itaque in commune bonum singuli (i. e. separatim neque coniunctim) laeti dederunt id, quod commenti erant.

Iam quod v. I 89 iterum comminiscendi verbum (commenta) positum est, mutandi causam non esse idoneam, ex iis, quae de iteratis vocabulis[30] explanavi, intellegitur. —

I 384 sq.

Uno vincuntur in astro
Augusto, sidus nostro quod contigit orbi:

Bentleium secutus Housmanus in textum, qui dicitur, recipit qui pro quod. Hoc pronomen omnibus libris traditum servandum esse arbitratus, quod Prinzio — si quidem eius verba p. 124 recte interpretatus sum — socio utor, magnopere gaudeo. Astrum Augustum enim intellego vocem Augusti adiectivum esse interpretatus, non substantivum. Post astrum autem cave ponas comma, quod vocatur. Saepissime in enuntiato relativo substantivum antecedens iteratur: quod astrum contigit. Quod vero poeta non astri vocabulum repetivit, sed aliud adhibuit, in quo eadem vis est (sidus), metri necessitate coactus scripsit.

1410.

tum nobilis Argo
In caelum subducta mari, quod prima cucurrit:
Emeritum magnis mundum tenet acta periclis,
Servando dea facta deos.

Durch ihr Verdienst auch pranget die Argo:
Nimmer befährt sie das Meer, das einst zuerst sie durchquerte;
Jetzo schmückt sie den Himmel, den schweren Gefahren entronnen:
Göttin wurde sie selbst, die Götter zu retten bestimmt war. —

Hoc loco omnia bene se habere facile licet intellegas. Atque ni Bentleius primus cum aliis difficultatibus tum locutione illa »agi periculis« offensus esset, nemo fortasse umquam hunc versum mutasset. Et quamvis mihi timendum sit, ne Housmanus prava me sentire neget, tamen ita hunc locum a Manilio scriptum esse contendo, ut traditus est. Namque ut mare ventorum vi agitatur (Cic.), pinus ventis agitatur (Hor. = ventis agi Ov. Trist. I2.), austro agitatur Charybdis (Ovid.), flumen maiore impetu agitur (Curt.), ita optime Argo dicitur acta periclis, quod bene interpretatur, qui Housmani librum in Athenaeo (1904, No. 4005 p. 135) sub censum vocavit: harassed by dangers. Quibus periclis postquam agi desita est, caelum sive mundum tenet: It is in reward for her peril that Argo has been transferred to the heavens. Nec dissimilia esse puto, quae apud alios scriptores nec non et poetas invenimus. Cf. si placet: Vell. Pat. hist. Rom. I 4,4 Aeolii eadem profecti Graecia longissimisque acti erroribus, non minus illustres obtinuerunt locos;

Ov. Met. IV 567: longisque erroribus actus
contigit Illyricos profuga cum coniuge fines;
XIII 260: .. fatisque immitibus ... actum;
XV 771: .. longis erroribus actum.
Heroid. II 107: Quae tibi, Demophoon, longis erroribus acto.

Difficile est, quae viri docti de v. 410 protulerunt, omnia persequi et non necessarium nec dubito quin falsa sint, quae coniecerunt Bentleius (Emerita et magnis tandem defuncta periclis), Ellisius (apta), Housmanus (aut: ante periclis — aut: acta lacertis), Kleinguentherus[31] (Emeruit magnis mundum temptata periclis). Neque enim omnium coniecturas traditis verbis dissimiles esse negabis. Atque quod poeta scripsit: «emeritum mundum tenet» fortius esse atque hic aptius quam emeruit, quod vult Kleinguentherus, nemo non concedet.

I 786.

Et Pyrrhi per bella Papirius ultor.

De hoc loco bis loquitur doctissimus ille existimator[32], quocum pugnandum videtur esse, ne ineunte novo saeculo Astronomica prorsus corrumpantur, et in praefatione (in pag. 73) et in ipsa carminis editione ad v. 787. Atque gloriatur paene suis inventis. Nempe ante illum iacuit quasi tenebris obvolutus Manilius. Ipsi tandem vicesimo post Christum natum saeculo, ut ipsius magniloquentia utar, contigit, uti Pyrrhum, Epirotarum regem, non a Papirio victum esse animadverteret. Et quamquam hunc versum iam alibi leviter tetigi debellato, ut putat Breiterus, superbissimo adversario, tamen iterum de eo atque pluribus opus est defungi, quoniam veram esse suam coniecturam paene persuasisse nonnullis videtur Housmanus. Qui: De Papirio, inquit, Pyrrhi ultore, qui Manilii editoribus notissimus sit oportet, ego apud rerum scriptores nihil invenio: Certe Claudiano ignotus erat, cum haec scriberet (bell. Poll. s. Gothici 128—132):

Plus fuga laudatur Pyrrhi quam vincla Jugurthae;
Et quamvis gemina fessum iam clade fugavit,
Post Decii lituos et nulli pervia culpae
Pectora Fabricii, donis invicta vel armis
Plena datur Curio pulsi victoria Pyrrhi.

Ac pro Pyrrhi (sive pirri[33]), quod nomen in omnibus codicibus invenitur, Housmanus proponit: furti dicens haec: Papirius devictis Samnitibus Caudinas insidias ultus est, haud furto melior, sed fortibus armis. Addit ex Flor. I 11. 7: Samnitas — gentem — montium fraude grassantem. Aliis autem medelis, quae sunt Ponti aut Spurii, eam, quam attuli, vir doctus ipse praefert. Sed nobis, priusquam uni ex tribus vanis opinionibus astipulemur, num omnino vitiosa sint tradita verba, videndum est. Quod negabit, quisquis accuratius ea examinaverit. Cavendum autem esse arbitror, ne quis verba «per bella» nimis premat aut suum acumen non habere opinetur. Nempe amat Manilius eas locutiones[34], quas ut metro aptaret ei contigit, atque ut I 800, III 212, V 98 per signa, ita I 796 et 790 (V 502) per bella adhibet; cf. victor I 776, 790, 797; nec-nec I 285 et 286, 382 et 383; aut — aut I 137 et 13 8; et in princ. v. I 781—784.

Re vera autem a Papirio res esse gestas manifestum fiet infra.

Iam vero maximopere miratus sum, quod Prinzius in actis illis quae audiunt Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien p. 254 Housmani eius loci, de quo disputatur, mutationem probat, quia numquam Papirius cum Pyrrho armis contendisset[35] (im Felde entgegengestanden!). At ubi haec dixit astronomicon poeta? Nusquam profecto ille Papirium cum Pyrrho bellum gessisse commemorat, sed Pyrrhi ultorem eum appellat. Sine dubio autem ultus est Romanos, quos Pyrrhus, Tarentinorum acerrimus et socius et dux, gravissimis cladibus affecerat, quoniam, postquam Pyrrhus ex Italia cessit, cum hostibus, qui illum arcessiverant, re bene gesta belli finem fecit atque triumphum egit, quo neque antea nec postea viderunt Romani splendidiorem[36]. Immane quantum gaudio affecti sunt Romani immani hoste victo; libertatis desiderio exarserunt eorum animi post tam grave tamque longum bellum. Mirificus vero latinitatis auctor videtur is esse, a quo

«Pyrrhi . . . Papirius ultor» ita redditur: Pyrrhus was defeated by Papirius (Housman p. LXXIII) — neque enim sua, opinor, interdum Housmano reddere vetabor.[37]

Praeterea autem quamquam non nescio totum hunc locum imaginem esse eius, qui invenitur in Verg. Aen. l. VI. v. 790 sq. (cf. ultoris Bruti v. 818; ultus avos v. 840) ac fontibus, unde haurimus res, quae illa aetate gestae sunt, id quod acutissimo illo, quo solet esse ingenio, Niese[38] exposuit, sat saepe fidem esse derogandam, tamen, quod de Pyrrhi ultore apud rerum scriptores nihil Housmanus invenit, ipsius sane culpae esse attribuendum statim apparebit.

Non ego quidem arcessam ex Frontino[39] illum locum, ubi legimus: post annos XL, quam Appia via perducta est, anno ab urbe condita quadringentesimo octogesimo uno M'. Curius Dentatus, qui censuram cum L. Papirio Cursore egit, Anionis (!), qui nunc vetus dicitur, aquam in urbem ex manubiis de Pyrrho captis, L. Papirio coss. iterum; — sed inspicias velim eiusdem strategemat. l. III. c. 3. (edit. Bipont. 1788 mihi praesto est): Papirius Cursor apud Tarentum Miloni . . . . si per illum oppido potiretur, pollicitus est. Quibus praemiis ille corruptus . . . atque ita incustoditam urbem Cursori tradidit.[40]

Conferenda est praeterea Zonarae (VIII 6 ed. Pinder) narratio, qui de Papirio haec tradidit: Μετὰ δὲ ταῦτα τούς τε Σαμνίτας διὰ Καρουϊλίου ὑπέταξαν καὶ Λευκανῶν καὶ Βρεττίων διὰ Παπειρίου ἐκράτησαν. Καὶ τοὺς Ταραντίνους ὁ αὐτὸς Παπείριος ἐχειρώσατο . . . Ὁ δὲ Μίλων ἐν στενῷ ἑαυτῷ τὰ πράγματα συνενηγμένη ὁρῶν . . . παρέδωκε τῷ Παπειρίῳ τὴν ἄκραν . . . Ἡ δὲ πόλις προςεχώρησε τῷ Παπειρίῳ, καὶ τὰ ὅπλα καὶ τὰς ναῦς αὐτῷ παρέδοσαν καὶ τὰ τείχη καθεῖλον καὶ δασμοφορεῖν ὡμολόγησαν. Οὕτω δὲ τοὺς Ταραντίνους ὑφ' ἑαυτοὺς οἱ Ῥωμαῖοι ποιησάμενοι . . . .

Postremo celanda esse non videntur L. Annaei Flori (epit. I 19) luculenta illa verba, quibus optime Papirii triumphum descripsit:

Victor primo proelio Pyrrhus, tota tremente Italia Campaniam, Lirim, Fregellasque populatus prope captam urbem a Praenestina arce prospexit: et a vicesimo lapide oculos trepidae civitatis fumo ac pulvere implevit. Eodem postea bis exuto castris, bis saucio et in Graeciam suam trans mare ac terras fugato, pax et quies; et tanta de opulentissimis tot gentibus spolia, ut victoriam suam Roma non caperet. Nec enim temere ullus pulchrior in urbem aut speciosior triumphus intravit. Ante hunc diem nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitium arma vidisses: tum si captivos aspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Bruttius, Apulus, atque Lucanus: si pompas, aurum, purpura, signa, tabulae Tarentinaeque deliciae. Sed nihil libentius populus Romanus aspexit quam illas, quas timuerat cum turribus suis beluas: quae non sine sensu captivitatis submissis cervicibus victores equos sequebantur (edit. Bipont. 1783 p. 28; ed. Tietze Pragae 1819 p. 67).

Alios quoque locos laudare longum est. Sed silentio praeterire nolo L. Papirium Cursorem ad annum a. Chr. n. 272 memorari in fastis consularibus (Theodori Mommseni cura inter se collatis, Corp. Inscript. Lat. vol. I., Berol 1863, p. 519). Itaque cum multis verbis uti videamus scriptores rerum ad laudandum Papirium, qui post bellum, quod Romanis cum Pyrrho Tarentinisque fuit, pacem quietemque restituerit, ut facere non possim, quin Prinzium illum Austriacum (p. 120), Housmani potius quam Manilii verba, quae perspicua neque obscura videntur esse, inspexisse putem, sincerum integrumque, quod traditum est, mordicus tenendum nobis esse censeo. Rectis igitur talis prope se utriusque stare potest sententia: et Manilii, qui dicit:

Pyrrhi per bella Papirius ultor —

et Claudiani, qui hunc pepigit versum:

Plena datur Curio pulsi victoria Pyrrhi.

In utroque autem versu alliterationem[41], quae vocatur, velim observes.

Ac ne Moellerum[42] quidem Housmano assentiri vix est monendum. —

Quae cum ita sint, haud ita magno negotio licet diiudices, utrum secundo Marte rem egerit an vanissimo sui amore fuerit inflatus — is qui

Talia magniloquo tumidus memoraverat ore:

It is no reproach to Scaliger and Bentley, that they amidst the dust of their labours and the blaze of their discoveries left much undone which was easy to do and overlooked many things which were plain to see. But it is a heavy reproach to the other editors whose discoveries are not dazzling and whose labours are not Titanic, that they have let slip so many obvious and trivial blunders whose detection required neither genius nor effort but only common attention and ordinary acquaintance with Latin. It is not decent, that I, in the 20th century after Christ, should have to remark, that Pyrrhus (I 786) was not defeated by Papirius.[43] —

Qua usus est audacia, in ipsa Britannia quod mirificus ille poetarum Latinorum interpres atque corruptor animos philologorum ita movit, ut ab iis quoque acciperet offensiunculam, mirum esse nequit.[44]

Iam ne quid omittam, fieri potuisse num quis putat, uti Manilius ultorem Pyhrri diceret Papirium, nisi ipse Romanus — sive natione sive civitate — fuisset? Romani autem populi eum maxima captum fuisse admiratione alios quoque Astronomicon locos documento esse non ignoramus. Neque iusto quondam iure viris doctis suspicionem iniectam esse Afrum fuisse Manilium mihi videor evicisse, id quod comprobat Io. Moellerus[45], illud cognomen Poeni (Boeni, Boeci), quod in non nullis libris manu scriptis inventum est, nil esse ratus nisi compendium, quo qui scripserunt, uterentur pro substantivo et adiectivo appositis «poetae clarissimi», quae aliis codicibus praebentur huius compendii loco.

Atque ut in Arnobii latinitate iudicanda erratum esse apparet, cuius dicendi genus non tam ferventibus Africani solis radiis esse cultum mutatumque quam ludis rhetorum videre licet ex Spindleri de hoc scriptore disputatione (Archiv f. Lexik. 1902, t. XII. p. 435 et 436), ita erravisse putamus et Rossbergium (Berl. phil. Woch. 1889, Nr. 34, p. 1074) Manilium peregrinum fuisse arbitratum, et Meader-Woelfflinium linguae latinae affatim peritum fuisse Astronomicon poetam (Arch. f. Lex. 1902, t. XII, p. 254) negantem. Contra omnis carminis ambitum uno veluti obtuto intuentes, qui est modus iudicandi minime fallax[46], agnoscimus hominem magna doctrina instructum, eloquentem, artis poeticae omnis, quae quidem literis et studio comparatur, et amantem et peritum, lectione veterum poetarum imbutum, qui artem astrologicam carmine universis doctrinae poeticae documentis atque artificiis instruendo enarrandi consilium cepit. Verumque hercle, vidisse putandus est Bechertus, cum Astronomicon poetam hominem fuisse Romanum proclamaret vero quidem nomine M. Manilium dictum, qui carmen suum, quod quidem manibus teneremus, sub Augusto post cladem Varianam et incohavisset et perfecisset (1891 p. 20).[47]

I 778 sq.

Horatia proles
Tota acies partus nec non et Scaevola trunco
Nobilior.

Hic ea verba, quae non discordi librorum concordiae debemus, vere Maniliana esse iam in libello scripsi (p. 23), quem de Astronomicis a. 1904 edidi; quae quoniam nunc Prinzius (p. 121) fortius defendit, ego plura de iis addere supersedeo. Hoc tamen monitum velim ob id ipsum veri esse dissimilem Housmani coniecturam, quod in uno versu ter mutavit codicum scripturam.

I 788 sq.

Marcellus, Cossusque prior de rege necato,
Certantesque Deci votis, similesque triumphis,
Invictusque mora Fabius, victorque[48] necati
Livius Hasdrubalis socio per bella Nerone.

Versus 790, qui ita, uti scripsi, in omnibus, quos habemus, codicibus exhibetur, finis adeo displicuit novissimo Astronomicon editori, ut exclamaret: necati tam foedum tamque stolidum est, ut a poeta scriptum esse nequeat: illud dubium, utrum ex v. 788 irrepserit an corruptela ortum sit. Utrumque nego.

Nam parum caute egisse illum puto hoc vocabulum ex v. 788 irrepsisse dicentem.

Neque enim evitaverunt epici Romanorum poetae eandem vocem intra paucorum versuum spatium bis vel saepius adhibitam, imprimis in finibus atque initiis: id quod sescenties possumus observare. Atque ut eos locos silentio praeteream, quos certo cuidam poetae consilio deberi in propatulo est (Persii sat. 22 et 23[49]; Iuvenal. sat. VI 232 et 233; 483 et 484; 641 et 642; X 89 et 90; XVI 33 et 34; Ovid. Met.[50] I 325 et 326; 361 et 362; 481 et 482; II 702 et 703; III 699 et 700; V 208 et 209; 369 et 370; VI 273; 328 et 329; VII 461 et 462; VIII 231 et 233; IX 488 et 489; 514; X 411 et 412; XI 121—124; ars amat. II 744 et III 812; amor. II 11, 36; 19, 27 et 28; III 2, 50 et 51; 4, 40; 5, 11 et 13; 10, 11 et 13. — Verg. Aen.[51] I 421 et 422; II 483 et 484; III 523 et 524; IV 247 et 248; mult. al. l.) — praeter insignia illa exempla, quae praebentur et ab Ovidio in Met. III 55 sq. (cf. etiam v. 44 corpore):

Ut nemo intravit laetataque corpora vidit
Victoremque supra spatiosi corporis hostem
Tristia sanguinea lambentem vulnera lingua
Aut ultor vestrae, fidissima corpora[52], mortis
Aut comes, inquit, ero ....

et a Vergilio in Aen. I 579:

His animum arrecti dictis et fortis Achates
Et pater Aeneas iamdudum erumpere nubem
Ardebant. Prior Aenean compellat Achates.

conferas velim — quos nullo negotio augere poteris — hosce locos:

Ovid. Met. I 249 et 253; 329 (cf. I 22); 761 et 766; II 240, 242, 246; 579; 687 et 691; III 27 et 36; 76 et 86; 92 et 94; 206 et 208; 243 et 244; 380 et 387; 495 et 496; 493, 501, 507; 611 et 612; IV 170, 296; 371 et 372; 556 et 557; 560 et 561; 575 et 576; 660 et 661; 697 et 699; 781 et 783; V 30, 33, 34; 238 et 239; 321 et 325; 409 et 412; VI 108 et 109; 160 et 162; 468 et 471; 503 et 511; 616 et 619; VII 225, 493, 495; 530 et 531; 613 et 616; 679, 682; 730 et 732; 793 et 795; VIII 709, 717, 718; 774, 781, 788; IX 111, 119, 121; 364; 444 et 447; 572 et 576; XI 22 et 23; 199, 208; 215, 544; XII 67, 69, 75; 74 et 76; 126, 139, 150, 162, 163, 176, 191; 262; 582, 593, 608; 615; XIII 6, 14, 18; 55, 62, 65; 130, 133, 134; 273, 281, 284; 298 et 301; 304 et 305; 486 et 487; 682 et 683; 705; 755 et 756; 853; XIV 234 et 239; 248 et 253; 290 et 294; 347 et 350; 381 et 383; 804 et 805; 828, 834, 836, 851; XV 406 et 407; 440 et 441; 638 et 639; 779 et 784; 862 et 863.

ars amat. I 21 et 23, 27; 545; II 52 et 53; 199; 279 et 280; 297, 298; 299; 509.

rem. am. 64, 177, 178; 291 et 292; 800, 802, 805.

heroid. I 65; II 49, 50, 51, 53; III 9 et 10; IV 111; V 82 et 83; 28 et 29.

Quam saepe poetae eadem vocabula in fine versus adhibuerint, licet ex hac tabula cognoscere:

Orbis, quod in Ovid. Met. e. g. invenitur I 6, 35, 94, 187, 324, 521, 592, 727, 770; II 7, 73, 254, 323, 514, 849; III 41, 77; IV 508, 624, 628; V 481, 489; VI 19; VII 59...

in Manil. I. libro in fine horum versuum positum est: 8, 23, 32, 76, 101, 131, 187, 191, 204, 221, 229, 232, 281, 284, 287, 291, 299, 302, 313, 330, 333, 383, 385, 398, 457, 469, 489, 509, 514, 527, 545, 574, 583, 599, 638, 641, 644, 647, 662, 675, 679, 726, 744, 753, 757, 802, 830, 844, 871, 874, 926. —

In I. libro Astronom. in fine horum versuum invenitur:

astrum: 33, 58, 63, 154, 174, 182, 268, 310, 346, 369, 384, 397, 410, 445, 557, 607, 612, 626, 628, 656;

mundus: 3, 17, 68, 121, 153, 183, 200, 247, 257, 259, 276, 280, 283, 344, 376, 395, 486, 493, 504, 534, 564, 605, 640, 651, 653, 670, 680, 703, 722, 737, 747, 809, 848, 901, 907;

caelum: 14, 42, 108, 150, 472, 488, 529, 543, 556, 562, 580, 600, 654, 693, 721, 728, 758, 760, 859, 905;

pronomen ipse: 16, 43, 188, 193, 206, 212, 326, 337, 423, 552, 633, 698, 700, 701, 754, 772, 894, 912.

In altero Astronomicon libro in fine versuum invenimus vocem trigonis: 299, 309, 318, 319, 331, 334, 342, 343, 320, 523, 546, 556, 565, 610, 646, 653, 674.

Sed ne qui legent, fatigentur, desino enumerare[53], praesertim cum ex iis ipsis, quae dixi, satis superque putem apparere, repetitiones earundem vocum intra paucorum verborum ambitum, imprimis in finibus atque initiis versuum elegantiae non nocere, ac si quis talia apud poetam inveniat, quem ceteroquin perfectum atque absolutum variandi studio atque elegantiae indulgere scimus, cavendum esse, ne praepropere mutet pro corruptis iudicans[54]. De ea autem re, quam allatis exemplis comprobare conatus sum, praeter alios[55] Mau-

ritius Hauptius, ut coniecturam, quam habuit emendationem, contra eos, qui opponerent, defenderet, sic egit: Sed ut evitaverint plerique poetae Latini istius modi vocabulorum iterationem, tamen non omnium neque omni aetate eadem fuit diligentia. Veluti summus copiose dicendi artifex M. Tullius Cicero, cum Aratia iuvenili studio conscriberet, mirum est quam saepe in eadem verba inciderit. Etiam Lucretius eadem vocabula non raro repetit et nonnumquam haud sane eleganter.

Qua in re qui iudicium facere volet, eum haud dubie iuvabit accuratius tractare quae nuperrime scripsit Bednara: de sermone dactylicorum Latinorum quaestiones (Wölfflini Arch. f. l. Lexik., Lipsiae 1905, t. 14): Graeca lingua cum dactylicis rhythmis valde faveat, Latina autem a metro dactylico natura abhorreat, contra iambicis et trochaeicis modis apta sit, hexametrum versum e Graecia in Italiam transferendo Ennius linguae Latinae non convenientem quasi vestem induebat: plurimis pulcherrimisque formis ut versui non aptis uti poetis epicis non licebat. Hi igitur varias ac diversas artes et dolos, ut ita dicam, adhibere coacti erant, ut congruentem novo, quantum id fieri posset, metro facerent linguam. Et vero summa eorum opera et studio contigit, ut Graecum illud metrum Romana quasi civitate donarent; neque tamen adeo, ut qui accuratius indagaverit, quibus in angustiis saepe sint versati, non perspiciat. —

Quibus angustiis poetam novam et inauditam materiam tractantem valde vexatum esse quis est qui neget?

Atque ex usu esse censeo recordari ea, quae scripsit Loersius (l. l.): Quid a critica expectari potest, quae non certa via ac ratione summaque reverentia antiquitatis et auctoritatis bonorum veterum librorum, sed obscuro potius ac fallaci quodam elegantiae sensu non sine immoderato novitatis et doctrinam ostentandi studio ducatur.[56]

Quam caute autem in corruptelis statuendis agendum sit[57], si qui inveniuntur versus eodem vel simili modo sive ex-

euntes sive incipientes, vel inde intellegemus, si quidem recentiora licet comparare cum antiquis, quod ne a nostrae quidem aetatis poetis talia evitata esse apparet. Ac ne longus sim, unum attulisse exemplum satis habebo.

In Uhlandi enim clarissima illa fabula, qua de Ernesti, Sueborum ducis, sorte agitur, in I. act. priore scaena evolvamus versus hosce: 28, 29; 87, 89; 106, 108; 143, 144; 147, 149; 160, 161; 165, 166; 211, 215, 219; 222, 223.

Talia autem inveniri possunt quingenties! — Nec minus saepe reperimus eiusmodi res in libris prosa oratione scriptis, quos cotidie manu versamus. Quod cognoscitur e. g. e libro, qui mihi hoc ipso temporis momento praesto est, quem qui scripserunt, summo studio maximaque cum cura perfecisse videntur: Marx-Tenter Hilfsb. f. d. ev. Religionsunterricht, Lips. et Francof. 1905, part. II. pag. 3 v. 2, 3; 11, 13; p. 6 v. 19, 24; p. 7 v. 34, 41; p. 9 v. 20, 29; p. 10 v. 2, 7; p. 20 v. 29, 31; p. 25 v. 30, 31; p. 31 v. 3, 8, 30; p. 43 v. 14, 16; p. 47 v. 14, 24; p. 52 v. 39, 41; 46, 47; p. 47 v. 12, 14; p. 80 v. 13, 14; p. 111 v. 14, 15; p. 116 v. 20, 26; p. 128 v. 4, 5; p. 130 v. 14, 20; p. 140 v. 22, 24; p. 143 v. 37, 38; p. 147 v. 39, 40; p. 153 v. 39, 40; p. 157 v. 27, 32; p. 163 1, 2, 3; p. 174 v. 1, 2; p. 176 v. 39, 41; p. 182 v. 30, 32; 35, 41; p. 184 v. 2, 10, al. loc. — Inspicias quoque, ut gaudio afficiaris, Madvigii advers. critic. p. 254 (alterum initio versuum duorum, qui se excipiunt); Schanzii Gesch. d. röm. Lit, p. II., dimid. 2., edit. alt. Monach. 1901 p. 99 (Akrostichon bis positum); Georges Kleines lat.-deutsch. Handwörterbuch. 4. edit. Lips. 1880 p. 2342 v. 5 et 6: Merkel des M. Manilius Himmelskugel Aschaffenb. 1844 p. 7 v. 1 et 2; Gardthausen Augustus und seine Zeit part. I. t. 1 (1891) p. 977 v. 18 et 19; part. I. t. 3 (1904) p. 1124 v. 15 et 16; 1276 v. 21 et 22; 1316 v. 31 et 32, 33 et 34; part. II t. 3 p. 864 v. 37 et 38; Lehmann Freiherr vom Stein, Lips. 1902 p. 285 v. 1 et 2; Archiv f. Lexikogr. 1904, XIII p. 278 v. 22, 23; p. 345 v.

14 et 15; p. 443 v. 42 et 43; p. 550 v. 10 et 12; p. 553 v. 5 et 6; p. 554 v. 9 et 11; p. 555 v. 15 et 16; p. 656 v. 15 et 17; p. 562 v. 16 et 17; Sybel hist. Zeitschrift 1906 Heft 3 p. 386 v. 26 et 27; literar. Handweiser 1906 No. 9 p. 330 v. 2 et 3; Berl. phil. Woch. 1906 No. 20 v. 21 et 22; Sueton ed. Reifferscheid Lips. 1860 XVIII v. 1 et 2; p. 189 v. 1 et 2; p. 242 v. 2 et 4; p. 174 v. 40 et 41; p. 137 v. 26, 28, 9, 30; p. 73 v. 11 et 12; Köpke-Matthias Monatsschrift f. höh. Schulen Berol. 1906, part. 5, p. 275 v. 30 et 31. Kunstgeschichtliche Anzeigen. Beiblatt d. Mitteilungen des Instituts für östr. Geschichtsforschung (red. v. Franz Wickhoff) 1906 No. 1 p. 23 v. 38, 39; 54, 55; 55, 56; Mommsen röm. Gesch. Berol. 1881, 7. edit. p. 260 v. 1 et 2; p. 292 v. 8 et 10; p. 353 v. 8 et 11; p. 403 v. 16 et 17; 27 et 28; Ihne, röm. Gesch. Lips. 1893, 2. edit. p. 7 v. 28 et 29; p. 20 v. 10 et 11; p. 26 v. 27 et 28; p. 36 v. 1, 4, 8; p. 42 v. 28 et 29; p. 46 v. 19 et 17; p. 52 v. 9 et 10; L. Annaei Senecae philosophi opera, edit. Bipont. vol. II. 1782 p. 36 v. 6 et 8; p. 103 v. 1 et 2; p. 128 v. 3 et 4; p. 156 v. 15, 16, 20, 21, 23; W. Wundt. Grundriss der Psychologie Lips. 1897, 2. edit. p. 12 v. 26, 29, 30; p. 28 v. 31, 32; p. 30 v. 1 et 2; p. 31 v. 2, 3; 32, 33; p. 51 v. 10, 11; p. 58 v. 10, 11; p. 66 v. 27, 31, 32; 32, 33; p. 73 v. 1 et 2; p. 78 v. 12, 13; 22, 31; 25, 26; 27, 29, 33; p. 86 v. 9, 11; p. 88 v. 19, 21, 30, 31; p. 89 v. 21, 23; 3, 16, 21, 24, 33; p. 92 v. 9, 11; p. 93 v. 1, 2, 14, 15.

Commentari di C. Giulio Cesare recati in italiano da Camillo Ugoni, Milano 1899 p. 124 v. 2, 3; Caesar's commentaries on the Gallic and civil wars etc. Literally translated with notes and a very elaborate index. London (George Bell & Sons) 1893 p. 149 v. 2, 3; Claudian. ed. Birt. p. LXVII v. 2, 4; p. 134 v. 219, 220; p. 123 p. 19, 20; Nouvelle biographie générale t. III (Paris. 1855) p. 423 v. 62, 63; Caesaris Bell. Gall. l. VII ed. Meusel Berol. 1894 p. 6 v. 15, 16; Schneegans, Die Ideale d. n. Philol. Beil. z. Allg. Ztg. 1906 No. 129, p. 430 v. 39 et 40.

Exemplis allatis monitos velim eos, qui dicant ex priore versu in insequentem aliquam vocem irrepsisse repetitam. Quos locos si quis corruptos esse contendat, quo tandem animo eum esse putamus? Quae cum ita sint, cum ceteris versus locis easdem voces nec raro eiusdem vocis diversos casus quos vocant grammatici, adhibuisse poetas Latinos tum saepissime duobus vel pluribus versibus, qui non multum distant, eandem imposuisse clausulam luce clarius est. Idem facere cur Manilio non licuerit, vix intellegemus, praesertim si nobiscum reputaverimus saepenumero aliorum poetarum, qui Augusti aetate floruerunt et maxime Ovidio consuetudinem illam dicendi quae character dicitur, imitatum esse atque etiam sua ipsius verba non semel repetivisse, id quod supra exposuimus. Hinc est, quod verbum necati in versum 790 infitias eo irrepsisse ex v. 788. — Neque ut foedius, eccere, id increpes, quam alia quae congessi exempla, Ovidii dumtaxat, quo haud scio an elegantior versificator ac subtilior poeta inter Romanos exstiterit, uti Veneres sane omnes in eum quasi coniurasse haud iniuria possis dicere.

Ac ne stolidum quidem esse merito contendas.

Etenim evolvas, si placet, mecum historicorum[58] libros: iam ab omnibus fere, qui quidem de iis rebus agant, necatum Hasdrubalem videbis commemoratum. Neque enim quidquam in Senensi illa pugna ducis morte accidit gravius aut perniciosius!

Rectissime igitur ipse Housmanus Livii (XXII 149) verba apposuit ad v. 790: primusque id Hasdrubal instituerat, dux cum saepe alias memorabilis tum illa praecipue pugna. Ille ... sustinuit, ille ... nunc ... accedit, ille ... restituit. Postremo cum haud dubia fortuna hostium esset, ne superstes tanto exercitui suum nomen secuto esset, concitato equo se in cohortem Romanam immisit. Ibi, ut patre Hamilcare et Hannibale fratre dignum erat, pugnans cecidit.

Atque etiam in ea parte, quae sequitur, Livius ducis mortem bis commemorat: vel ducis vel exercitus interitu ..... sine certo duce.

Polybius autem (XI 2) tradidit Hasdrubalem, qui et semper ante eum diem et eo maxime tempore, quod ultimum ei fuisset, virum se praebuisse strenuum, in ipso conflictu vitam finivisse (ἐν χειρῶν νόμῳ κατέστρεψε τὸν βίον). Praeterea Hasdrubalem ille narravit (c. 3), dum ei quidem probabilis spes aliqua superfuisset, posse aliquid se rebus ante gestis dignum efficere, nihil antiquius in obeundis proeliis habuisse propriae salutis conservatione: ubi vero nudatum omni spe in posterum fortuna ad huius postremi certaminis necessitatem adegisset, etsi nihil esset ab eo praetermissum neque in apparatibus neque in ipso conflictu, quod ad victoriam consequendam faceret, non minus tamen meditatum fuisse, si forte in universae rei fraudem laberetur, quo pacto cum adversa fortuna ita congrederetur, ut ante actam vitam nullo facinore se indigno dehonestaret.

Atque Zonaras IX 9 (433 ed. Pinder) haec dicit: φθείραντές τε ἄλλους πολλοὺς καὶ τὸν Ἀσδρούβαν ... ἱκανῶς τὴν Καννησίδα συμφορὰν ἀνειληφέναι ἐνόμισαν.[59]

Iam vero quam flebilis suis occiderit Hasdrubal, ex eo ipso intellegitur, quod Hannibalem proiecto ante castra fratris capite agnoscere se fortunam Carthaginis dixisse auctor est Livius (XXVII 51): ex necato igitur Hasdrubale totius reipublicae Carthaginiensium pendebat salus!

Metaurum porro flumen, ubi Hasdrubal et victus et obtruncatus esset, quasi Trasumennum lacum Poenis fuisse dicit Orosius (adv. pag. ed. Zangemeister, Vindob. 1882, III 18, p. 256).

Itaque cum trucidato Hasdrubale tantam rerum mutationem factam esse videamus, nonne aptissime Manilius necati ducis mentionem fecisse putandus est?

Iuvat iterum afferre Polybii verba. Qui nuntio victi atque interempti Hasdrubalis Romam allato ingenti laetitia totam civitatem repletam esse memoriae prodidit, omnia delubra exornata, in omnes sacras aedes victimas et liba congesta esse; bonam adeo spem omnes concepisse ac fiduciam, ut iam Hannibalem, quem tantopere usque ad id tempus timuissent, ne esse quidem in Italia amplius putarent (XI 3 sub finem).

Et qua de re rerum scriptores multa verba fecerunt, eam quod apud poetas quoque saepius invenimus commemoratam, non est cur miremur. Neque enim quisquam Horatii carmen (IV 4) nescit:

Testis Metaurum flumen et Hasdrubal
Devictus . . . .
. . . . . Occidit, Occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis Hasdrubale interempto.

En tandem aspice necatum Hasdrubalem apud Manilium, interemptum apud Horatium, cuius carmina non semel esse imitatum Manilium satis puto constare inter omnes. Occisus dux memoratur etiam a Silio Italico (Punic. XV 814), cuius verba, quippe quibus praeclarissime Liviana (XXVII) epicis coloribus adumbrata sint, ipse legas:

Tum Nero, procera sublimia cuspide portans
Ora ducis caesi, Cannas pensavimus, inquit,
Hannibal, et Trebiam et Trasimenni litora tecum
Fraterno capite. I, duplica nunc perfida bella
Et geminas arcesse acies. Haec praemia restant,
Qui tua tramissis optarint Alpibus arma.
Compressit lacrimas Poenus minuitque ferendo
Constanter mala et inferias in tempore dignas
Missurum fratri, clauso commurmurat ore.
Tum castris procul amotis, adversa quiete
Dissimulans, dubia exclusit certamina Martis.

Neque ignota sunt Silii verba (IV 486):

Multaque Hasdrubalis fulgebit[61] strage Metaurus.

Iam vero ne offendaris locutione illa «victor necati», quamquam apud hunc poetam, qui rhetorum[56] in ludis institutus erat, per se mira esse nequit, repetas velim ex Ovidii Met. l. III 95 exemplum non multo sane audacius: victor victi (hostis)[62] atque aliud ex Claudiani libris: victoria pulsi Pyrrhi cf. p. 17 huius dissertationis. Ergo verae antiquitatis speciem ferre videtur necatus Hasdrubal neque abhorrere a priscorum temporum consuetudine dicendi.

Quae fuit igitur umquam in ullo homine tanta, quanta in Housmano, audacia? audaciam dico? nescio an melius socordiam possim dicere.

Itaque quod omnibus manuscriptis praebetur codicibus nec stolidum aut foedum est, servabit, quisquis verum Manilium exstirpare nolet. Housmani autem coniecturam tenacis (quamquam tenaci isdem literis ac necati constat) cum multis aliis neque iis paucis eius panaceis quam celerrime iubebimus abire Morboviam.

Nec magis opus est coniectura «nefandus» a Bentleio olim proposita. Quam etiam falsam esse haud ita difficile sit ad probandum. Etenim admodum constans est poetarum usus in describendis rebus historicis, id quod vel ex usu talium locutionum apparet, quales sunt Carthaginis arces et Carthago alta[63]. Itaque si nusquam Hasdrubal appellatus est nefandus, non possumus eum hoc epitheto, quod Graeci vocant, significare, cum non sit traditum. Rectius forsitan Hannibalem nefandum vocites. Is unus cum tot tantisque Romanorum ducibus per tot annos de imperio gloriaque decertavit. In eo maxime erat admirandum, quod inexpiabile in Romanos odium[64] veluti hereditate relictum atque iam prima aetate iureiurando confirmatum usque ad extremum spiritum servavit. Is erat omnium, qui contra Romanos arma tulerunt, et infestissimus et fortissimus. Quadecausa fraudulen-

tissimus, deum contemptor, pacis impatiens, crudelissimus, Herculis aemulus appellatur. Silius quidem Italicus[65] (I 55, cf. Drakenborch 1777, indic. s. v. Hannibalis) Livianam imaginem, quam manifeste ante oculos habuit, suis coloribus refinxit additis etiam iis, quae pleniorem et absolutiorem redderent. Atque egregie summa, qua Hannibal flagrat, cupiditas Romanis bellum inferendi, adumbratur, quibuscum iam in somnis armis contendit. Ipsam initio carminis herois imaginem a poeta intextam lectorumque oculis subiectam audias:

Ingenio motus avidus fideique sinister
Is fuit: exsuperans astu; sed devius aequi.
Armato nullus divum pudor; improba virtus
Et pacis despectus honos, penitusque medullis
Sanguinis humani flagrat sitis; his super, aevi
Flore virens, avet Aegates abolere, parentum
Dedecus ac Siculo demergere foedera ponto.
Dat mentem Juno ac laudum spe corda fatigat.
Iamque aut nocturno penetrat Capitolia visu,
Aut rapidis fertur per summas passibus Alpes.
Saepe etiam famuli turbato ad limina somno
Expavere trucem per vasta silentia vocem,
Ac largo sudore virum invenere futuras
Miscentem pugnas et inania bella gerentem.
Hanc rabiem in fines Italum Saturniaque arva
Addiderat quondam puero patrius furor......
Nobilis hoc ortu et dextra spectatus Hamilcar
Ut fari primamque datum distinguere lingua
Hannibali vocem sollers nutrire furores
Romanum sevit puerili in pectore bellum.

Eandem aut similem clarissimi Poenorum ducis imaginem apud alios poetas invenias. Ferus enim est Claudiano (cf. Birtii indicem). Alaricus autem est alter sive novus Hannibal antiquo saevior. —

Nefandum igitur possumus vociferari Hannibalem, Hasdrubalem non item. Cui contra fuisse come ingenium scimus. Laudatur enim eius humanitas atque facundia, qua Hispanos magis quam bello armisque sibi conciliaverit. (cf. App. bell. Hisp. c. 6 τῆς Ἰβηρίας τὰ πολλὰ πειθοῖ προςήγετο, πιθανὸς ὢν ὁμιλῆσαι. Praeterea adeundus est Liv. XXI 2; Polyb. II 36). Neque ullam in Italia ab Hasdrubale acceperunt cladem Romani, qui diutissime Hannibalem Italiae visceribus inhaerentem et omnia ferro ignique vastantem viderunt. donec ad patriae ruinam arcendam P. Scipio armorum successu eum avocavit. Unus Silius Italicus, communi Romanorum de Poenis iudicio usus, Hasdrubalis indolem depingens diversus videtur abisse a ceteris historicis, ut I 147 sq. vero atrocius eius ingenium expressum habeamus. Quod non iniuria ita Ernestius explicare videtur, ut Silium, ut poetam eumque scenas tristiores gravioresque maxime amplectentem, hoc sibi licentiae sumpsisse dicat, ut ex historia mallet ambigua vitiorum Hasdrubalis documenta colligere quam expressiora virtutum eius testimonia sequi. —

I. 750.

Nec mihi celanda[66] est famae vulgata vetustas
Mollior[67]: e niveo lactis fluxisse liquorem
Pectore reginae divum caelumque colore
Infecisse suo.

Iam Bentleio verba, quae invenit in codicibus, merito mira visa sunt. Quid enim, inquit, est vetustas vulgata famae? quid mollior vetustas! Haec monstra sunt nec ulli poetae adscribenda.

De verbis autem, quae sunt «Nec mili calanda est», quibus nihil aliud significari arbitror ac: non mihi praetereunda sive omittenda videtur esse, nimis severe, ni fallor, iudicavit Housmanus, qui ad ea annotat: Quae enim vulgata sunt, ea

ne possunt quidem celari. Propterea ablativum esse vult vulgata, quo non animadverso mutatum corruptumque esse hunc versum putat. Ipse sic legi iubet:

Nec mihi celanda est vulgata fama vetusta
Mollior.

Quod nego esse verisimile, quoniam tribus uno loco mutationibus utatur necesse est.

Duae autem in promptu sunt facillimae sanandi rationes, quarum una

Nec mihi celanda est fama evulgata vetusta:
Molliter[68] e niveo . . . .

displicet propterea, quod bis ea verba quae traduntur mutata sunt, altera magis videtur commendabilis et propter rem ipsam, de qua agitur, et propter formam, quoniam unius literulae mutatione sic legere licet:

Nec mihi celanda est fama evulgata vetustis
Mollior.

Tres enim affert Manilius de lactei orbis origine fabulas: duriores duas: de Sole (I 729 an melius manet illa fides per saecula prisca) et de Phaethonte, quae descenderit ad poetae aetatem ab antiquis annis) (I 735), tertiam, quae vetustis[69] illis narratiunculis sit mollior (I 750):

e niveo lactis fluxisse liquorem
Pectore reginae divum caelumque colore
Infecisse suo. Quapropter lacteus orbis
Dicitur, et nomen causa descendit ab ipsa.

Nicht darf schweigen das Lied von der anmutreicheren Sage,
Dass aus schneeweissglänzender Brust der Beherrscherin Juno
Milchsaft floss und in reichlichem Strom das Gewölbe des Himmels
Weithin färbte, daher Milchstrasse der Gürtel genannt wird,
Und von dem Grunde den Namen erhielt, der die Farbe gebildet.

Ita hos versus vertit Merkelius, cui primum Astronomicon librum debemus. Cum enim Francogalli duabus, quas fecerunt Pingraeus et Ricouartus, utantur, nos dolemus, quod plena Astronomicon versione adhuc caremus. Fortasse autem Kleinguentherus, qui fausta Minerva non nullis poetae partibus germanos hexametros adaptavit, omnes libros praeclara sua arte brevi domabit.

Neque sine aliqua causa antiquiores dici posse priores duas fabulas ex eo intellegitur, quod de eorum fontibus exposuit Moellerus. (Stud. Manil. p. 19; Dielesii: doxogr. p. 629).

Iam vero in traditis Manilii verbis mutata una litera a certis rebus me ad incertas progressum esse sentio: attamen ita actum non iniuria putaverim, ut hae ab illis facili negotio queant distingui. Itaque, ut ait Hauptius nescio quo loco, quae incerta visa sunt, ii, quorum maior est doctrina et sagacitas, aut refellendo diluant aut approbent confirmando.

Nunc quoniam non paucis exemplis me demonstravisse censeo, quanta in singulis mutandis Housmani[70] libido esset, non dissidens a ceteris viris, qui suum de illius libro iudicium (Arch. f. Lex. XIII 593) publici iuris fecerunt, in fine vota pro Manilii incolumitate nuncupare liceat, si ille quod coepit pergere decreverit. Atque si id effecero, ut in edendis poetarum Latinorum carminibus Housmanus desinat ineptire neve futurus Astronomicon editor pro Manilianis lectionibus retineat manifestas Housmani corruptiones, quarum illum sat multas in annotatione critica prave et inscite defendisse et prorsus inanibus non raro ac futilibus argumentis Manilio vindicavisse intelleximus, neque operam me perdidisse credam nec plane inutilem aut supervacaneam fuisse hanc disputatiunculam. —

In Appendice

nonnulla addere lubet de ea, quae tractatur, materia, quae alio loco tractandi defuit et occasio et facultas.

I. de Manilio poeta.

Nam suo iure monere mihi videtur Kleinguentherus (p. 7), quod iuvenili quondam ardore Maniliana studia amplexus mera coniectura auguraverim fieri potuisse, ut non multo post Octaviani mortem poeta ipse supremum diem obiret. Neque enim quidquam nobis de Manilii vita aut morte notum est. Quo oppido, quo tempore, quo anno natus sit, nec ipse in iis quidem libris, qui aetatem tulerunt, tradidit neque apud alios scriptores memoriae proditum reperimus. Atque confiteor eo potius consilio me illa verba quondam scripsisse, ut aptum finem dissertationi imponerem quam quod novum atque inauditum fetum me parturire putarem. Quamobrem iusto nimis commoveri Freieri (Wochenschr. f. kl. Philol. 1891 No. 10) et Kleinguentheri animos nolo, quos ne ipsos quidem culpa esse vacuos intelleximus. De Freiero illo quidem Ramorinus (Quo annorum spatio Manilius Astronomicon libros composuerit 1898) sic iudicat: Omnia Tiberianae aetatis indicia in Manilii versibus diligentissime conquisivit, et undique argumenta congessit, quae sententiam suam fulcire viderentur. At, quae humanarum rerum condicio est, non ab erroribus satis cavit Freierus; plus semel indicia Tiberianae aetatis deprehendere sibi visus est, ubi nulla essent; eo pervenit, ut ex paucis Manilii versibus aut verbis eum fingeret Germanici socium fuisse, cum eo Germaniam Asiamque peragrasse, uno verbo romanensem quandam fabulam contexeret a vera criticae factitandae ratione alienissimam.

Kleinguentherum vero constanter certe rem non tractavisse mihi est persuasum: nam quod in me reprehendit, — sortem sane tragicam! — ipse videtur peccavisse. Suspicor, inquit (p. 10 et 11), poetam sine dubio iam longius aetate provectum et quasi in limine senectae stantem, cum astronomica incohavit, aut subitam mortem obisse, postquam intra quinquennium plus quattuor milia versuum panxit, aut Augusto, ad quem patroni carminis honorem delatum esse satis superque manifestum est, vita defuncto Tiberioque succedente opere continuando et ad finem perducendo omnino destitisse, nisi forte librariorum culpa vel alio casu opus esse truncatum coniectare lubet. Fortasse etiam Manilius in numero astrologorum sive mathematicorum fuit, qui sub Tiberio principe Italia exire coacti sunt.

Haec omnia mera coniectura vir doctus consecutus est, quam mihi opprobrio datam esse scis eiusque ipse necessitatem confitetur sic locutus: Vides igitur ad coniecturas nobis esse confugiendum, dum nova detegantur, quae lumen afferunt. Neque tamen is sum, qui Kleinguentherum ob id ipsum nimis vituperem, quoniam multi in eam opinionem discesserunt, ut, quotiescumque certa quadam fontium auctoritate careremus, coniecturis opus esse assererent. Qua de re Birtium haec scripsisse autumo: Da wo die Überlieferung für ein literarisches Phänomen die Entstehungsgründe nicht mit vorlegt, ist die Wissenschaft die Hypothese an die Stelle der Tatsache zu setzen verpflichtet (Zwei polit. Satiren des alten Rom, Marb. Chatt. 1889 p. 124 sq.). —

2.

De divino imperatorum cultu et de astri solisque vocibus, quae in comparationibus, quas appellamus, inveniuntur, libri nonnulli laudabuntur, quos antea non adieramus. Imprimis autem conferas necesse est, quae subtili ingenio exposuit Usenerus et in eo libro, cuius titulus est religionsgeschichtliche Untersuchungen p. I (Weihnachtsfest),

Romae 1889 p. 65, 76—79, imprimis p. 77, not. 27, et in postuma illa disputatione de Sole invicto scripta (Mus. Rhen. 1905, t. LX p. 481, al. loc.). Praeterea legantur Zeitschrift für Völkerpsychologie und Sprachwissenschaft (Lazarus-Steinthal) Lips. 1889 p. 79 et 218; 1668 p. 416 (die Sonne ein gutes Prinzip im Kampfe mit bösen Mächten); p. 431 1865, t. III. p. 331, 333 F. B. W. Schwartz, Sonne, Mond und Sterne, Berol. 1864; Ihne röm. Gesch. I^2 Lips. 1893 p. 1 et 473; Serv. ad Verg. Aen. I 382 (II 801, III 5) et recentiorum not. Schwegler, röm. Gesch. I 283; Strauss, Leben Jesu I^4, 275. — Fulgendi vis et deorum et solis stellarumque est, Zeitschrift für Völkerpsychologie 1865 p. 492 sp.; de agnis (lat. ignis) nomine, cuius notio atque vis est fulgens eoque primum Ignis deus, deinde elementum quod vocatur significabatur Zeitschr. f. Völkerpsychologie 1862 p. 5. — Creator qui verus fons luminis diceris, infundere digneris super intellectus mei tenebras tuae radium claritatis: Oratio S. Thomae de Aquino ante studium; Jean Brunhes, une géographie nouvelle, Revue des Deux Mondes 1906, p. 543: la chaleur solaire est, sur notre terre, le grand principe de toute activité et de toute vie. Lessing ed Lachmann 1839, XI, p. 711. L. Lemp Aufsätze zeitgenössischer Schriftsteller p. III zur deutschen Geschichte, Lips. 1904 p. 125 (Alexander cum Sole, Fridericus, Borussorum rex, cum sidere comparatus; quocum cf. Claud. Nupt. Hon. princeps corusco sidere pulchrior; Senec. Consol. ad Polyb. 32, Amm. Marcell. 21, 10; Macedoniae sidus (Curt.); princeps, qui novum sidus illuxit Curt. X, 9, 28 (ed. Mützell Berol. 1841, p. 47 sq.; Jahns Jahrb. f. Phil. XXII; XIII 704); König Friedrichs leuchtendes Gestirn, Treitschke deutsche Gesch. I 14; Deutschlands Stern ibid. I 59; der Stern unseres Helden (Max Lehmann Stein I 454); ein neuer Stern war aufgegangen (Marx-Tenter l. l. p. 174); Tylor Primitive Culture London 1871 (Cortez-Sol); Hertslet Treppenwitz der Weltgesch. Berol. 1905, p. 34 et 35; Sternbild Friedrichs Ehre, J. Schreiner, der Bau des Weltalls, 1904,

p. 25; de Hor. c. III 3, 62 bibit (bibet) Fried. Kreppel, der Zyklus der horaz. Römeroden II. pars: die Staatsoden, Kaiserslaut. 1904.

Astra pro hominibus inter astra collocatis seu deorum numero illatis atque pro ipsis dis poni videas ex exemplis non nullis in Forcell. lexic. s. v. astri allatis (Stat. silv. I, 97; auct. Aetn. 50, 68); stella crinit... anima Caesaris in caelum recepti Suet. Caes. 88; doxogr. p. 466; Manil. I 758 sq.; Grimm, deutsche Myth., 2. edit. p. 788; Zeitschr. f. Völkerpsych. 1869, t. VI p. 117; Moelller p. 8 sq.; Zeitschrift für Völkerpsychologie Lips. 1889, p. 67.

De astrorum voce in votis faciendis adhibita v. Anthol. Palat. ed Duebner I 669 sq., Hertslet l. l. p. 116 (6. edit.); Alfred Riese, einige Wandlungen des Wunschmotivs, Zeitschr. f. vgl. Lit.-Gesch., Neue Folge 1887/88, t. I p. 420.

De astris ut symbolis adhibitis cf. e. g. Furtwängler et Urlichs Denkmäler griech. und röm. Kultur, Monach. 1898 p. 29; Suet. Caes. 88 (simulacro eius, scil. Caesaris, in vertice additur stella); Plin. N. H. II 94; Dio Cass. XLV 7.

Ad locutiones illas, quae saepe adhibentur: sidera tangere (ferire), educere ad astra, tollere ad (in) astra, non est ad astra mollis e terris via (Senec.), itur ad astra, inter astra collocare, famam astris terminare, in concilio caelestium collocare, in astris ponere, astris inferre, super alta astra ferri, accedere caelo, caelo se tollere, addas minus notam: ad astra spiritum transmittere (Ratperti casus S. Galli Monum. Germ. Hist. II 62); Christus lucis repertor, quem misit ab astris... genitor v. Claudiani epigr. XLVIII edit. Bipont. 1784 p. 393. — Zwei Sterne sind untergegangen, die uns den Himmel geschmückt (E. v. Wildenbruch, Unser Fritz); 80jährig ging Plato ein zu den Gefilden, von denen er auf die Erde herabgestiegen war — (descendit caelo Astron. I 118 et 799, e caelo cecidit Iuven. II 40; ex caelo profecti in caelum revertantur Cic. d. rep. 6, 13, somn. Scip. 3); Schwartz, Charakterköpfe l. l. 1903, p. 67.

De divinis honoribus, quibus cum alii affecti sunt tum Augustus, cf. Usener l. l. p. 72 sq. (imprimis p. 73); praeterea Usener Götternamen p. 300 (reparatio felicium temporum); Verg. Aen. VI 792 sq. Augustus, Divi genus, aurea condet saecula: ea vis condendi aurea saecula deorum est. Neue Jahrb. f. d. kl. Alt. VII, 272. Gardthausen Augustus part. I vol. 3 (1904) p. 1276 sq., 1345:

Auch für römische Bürger wollte Augustus Gott sein (nicht bloß Gottessohn); darüber ist Zweifel nicht mehr möglich, seit wir den Eid der Treue kennen, den er sich in Gangra schwören ließ (Fr. Cumont Un serment de fidélité à l'empereur Auguste, Revue des ét. grecques 1901 No. 56 p. 2). Es ist ein Eid, der auf Befehl des Kaisers geleistet wird (ἀπὸ αὐτοκράτορος Καίσαρος θεοῦ υἱοῦ Σεβαστοῦ etc.), und zwar nicht nur von den Paphlagoniern, sondern auch von den Römern, die dort Geschäfte treiben (ὑπὸ τῶν κατοικούντων Παφλαγονίαν καὶ τῶν πραγματευομένων παρ' αὐτοῖς Ῥωμαίων). Dieser Eid, der römischen Bürgern vorgeschrieben wird, soll bei der Gottheit des Augustus geleistet werden. Er ist wirklich geleistet in den Augustustempeln der Provinz vor den Altären des Gottes Augustus. — De Augusto deo cf. quoque Heinze Vergils epische Technik 1903 p. 478; Wilamowitz Jahrb. d. deutschen Hochstifts 1904 p. 23 et 24. — Suet. Aug. 79; Kiessling ad. Hor. c. I 2 u. III 5 (menschgewordener Gott). — Renan Origines du christianisme — Barth I 10. — O. Hirschfeld Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1889 p. 836. 19; Neue Jahrb. f. d. klass. Altert. ed. Ilberg VII 258; romantische Stimmung der august. Zeit. ibid. p. 260. Kaerst Hist. Zeitschrift N. F. XXXVIII, 1895, p. 33, 218, 227; Bücheler Huldigung für Könige vor Zeiten, Deutsche Revue 1897; Mus. Rhen. 1899, LIV 477. C. Pascal Il culto di Apollo in Roma nel secolo di Augusto, Bullet. della Commiss. arch. di Roma, XXXII; Lessing ed. Lachm. 1838, t. IV. 43. Kampers Alex. d. Gr. und die Idee des Weltimperiums in Pro-

phetie und Sage, Friburgi 1901; Ivo Bruns Vorträge und Aufsätze; Mus. Rhen. LX, 1905 p. 151 sq.; XV p. 321; XLI p. 487, 490, 493; Fleckeis. annal. t. 149 (1894) de Nerone.

Imperatorem quasi imaginem et vicarium divini caeli imperatoris et apud paganos et apud christianos esse intellegas ex Hor. c. I 12, 49 et III 5, 1 sq. et Waltheri carminibus, qua de comparatione egit L. Steinberger Zeitschr. f. d. östr. Gymn. 1906, p. 145: ihr habt die erde, er hât das himelrîche; Grillparzer König Ottokars Glück und Ende: wie Gott im Himmel herrschet er auf Erden; Hardenberg (Novalis) geistl. Lieder: der Himmel ist bei uns auf Erden. —


Deos et imperatores ab artificibus nimbo ornari notum est: Arch. f. Lexik. 1900, t. XI, p. 119, 120. — Ovid. Met. XV 858:

Sic et Saturnus minor est Iove. Iuppiter arces
Temperat aetherias et mundi regna triformis;
Terra sub Augusto est: pater est et rector uterque!

et Fast. II 130:

Hoc tu per terras, quod in aethere Iuppiter alto
Nomen habes: hominum tu pater, ille deum.

Cf. Zeitschrift für Völkerpsychologie, Berol. 1878, t. X, p. 440 et 441.



Explicationes atque notae.

[1] Widukindi rerum gestarum Saxonicarum libri tres. Hanoverae. Edit. tert. 1882, l. I, c. 25.

[2] Bechert de Manilii emendandi ratione, Lipsiae 1878. Breiter de emendatione Manilii, Hauniae 1854, de cuius ratione cf. Becherti libr. Qui nunc de hac tam difficili materia scripturus est, satis magnam rationem habeat oportet eorum libellorum, quos de Manilii genere dicendi ingenioque poetae scripserunt viri docti, quos enumerat Kleinguentherus: Quaestiones ad Astronomicon libros pertinentes, Lipsiae 1905 (in appendice).

[3] Quapropter subiit I. Moelleri vituperationem (Wochenschrift f. klass. Philol. 1905 No. 29).

[4] cf. in Eduini Muelleri docta de arte ingeniique Manilii dissertatione p. 64 sq. philologi tom. LXII.

[5] Muelleri diss. p. 82 sq.

[6] Quam saepe in interpretandis Astronomicis sit erratum, optime intellegas e. g. ex libro, cuius titulus est Archiv f. lat. Lexikographie 1902 t. XII p. 463. — De via autem ac ratione, qua in Manilii verbis tractandis procedendum sit, conferre ex usu est, quae dixerunt hi viri: 1. Helmius (de Postgatii Silva Maniliana, Berl. phil. Woch. 1897, No. 40): die Gefahr liegt nahe, dass der Schriftsteller emendiert wird und nicht der Abschreiber; 2. Anonymus quidam (de Sudhausii Aetnae editione Archiv f. Lexik. 1900, t. XI, p. 292): Zuerst muss man versuchen zu verstehen, bevor man zu Konjekturen greift. 3. Birtius ibid. p. 150 (das Arvallied): Wer emendiert, setzt eben ein andres Lied eigner Mache, ein Lied der eignen grammatischen Phantasie an die Stelle der überlieferten Lieder.

[7] M. Manilii Astronomicon l. I. rec. et enarravit A. E. Housman, Londini 1903; cf. de hoc libro, quae scripserunt viri docti, quorum non pauci veritatem quamvis saepe laborantem ab Housmano exstingui intellexerunt: 1. Bollius Deutsche Literaturzeitung 1906 No. 8; 2. J. Moeller Wochenschrift f. klass. Philologie 1905 No. 29, unde, quae vera Housmani merita videantur esse, facile cognoscitur (cf. eiusdem verba in Berl. phil. Woch. 1902 No. 2 p. 45: Housmans schlechte Konjekturen zum ersten Buch); 3. Ellis Hermath. vol. XIII No. 30, 1904;

4. Vollmer Berl. phil. Woch. 1904; 5. Lit. Centralblatt 1904 p. 625; 6. Athenaeum 1904 No. 4005, p. 135; 7. Archiv f. lat. Lexik. XIII, 1904 p. 593; 8. Prinz Zeitschrift f. d. östr. Gymnasien 1905 p. 117—124; 9. Breiter Philol. LXIV (die Planeten bei Manilius); 10. Postgate Classical Review 1904, vol. XVIII; 11. Bursiani annal. 1905, t. 124, part. 3, p. 32. —

[8] Met. V 47 datque animos; dat mentem Sil. It. I 63.

[9] Mus. Rhen. LI. (de Properti poetae testamento p. 500).

[10] Housmann l. l. p. 69; LXXIII.

[11] Neue phil. Rundschau 1906, No. 8 p. 173. —

[12] Housman l. l. p. LXIX et ad v. I 926. Moeller l. l. p. 38 et 41; Kleing. p. 6—11; Kroll in Bursiani ann. Lips. 1905, t. 120 p. 38 et 39 (die Altertumswissenschaft im letzten Vierteljahrhundert); Gardthausen Augustus, Lips. 1904, part. I, t. 3. p. 1306 et 1311; part. I, t. 3, 886; Barth advers. I 8, X 21, XVI 7; Kroll aus der Geschichte der Astrologie. Neue Jahrb. f. d. klass. Alt. Lips. 1901, t. VII p. 562.

[13] vires facere e. g. Manil. 153; Ov. Met. IV 528; VIII 143. — Barthius XXV 7 legit: Tu vires animumque facis ad tanta canendum.

[14] Riess s. v. astrol. in libro, cuius tit. est: Pauly Realencyclop. d. klass. Altertumswiss. t. II. Stuttg. 1896. Gardthausen Aug. II 1, 14 19; Friedlaender Darst. a. d. Sittengeschichte Roms. III. p. 557, Lips. 1890; Köpke-Matthias, Monatsschrift f. höh. Schulen, Berol. 1905 (Horaz und die Astrologie); Suet. Aug. 94; Diels. doxogr. p. 101 (de astrologia sub primis imperatoribus in forum et publicam lucem protracta).

[15] Mus. Rhen. XLI, p. 489, 492.

[16] cf. Ov. Met. I 345 surgit humus, Lessing ed. Lachmann 1839, XI. p. 702.

[17] Norden Aeneis VI, 1903, p. 328 (εἰρηνοφύλαξ); Eduard Schwartz Charakterköpfe aus der antiken Literatur, Lips. 1903, p. 94; Mus. Rhen. XLI, p. 489; Ussing Ara Pacis Augustae (Autel de la Paix d'Auguste), Copenh. 1903; Revue crit 1903 No. 37; Barth adv. I 8.

[18] cf. Ellis l. l. p. 6; ubi de versu IV. 776 sq. agit, similiter interrogavit: and is the poet likely to have admitted u r b e m, o r b e m as the last word of two consecutive lines? — conferat Manil. I 11 et 13, 16; 700 et 701; II 342, 343; 620, 621; 740, 741; III 175, 176; 190, 191; 248, 250, 254; 258, 260, 265; 457, 458, 459; 460, 462; 467, 469; IV 537, 538; 693, 694; 762, 764; V 440, 441; 671 (cru-oris), 672 (oris); 105, 106; 733, 734 (u r b e s), mult al. loc. — Praeterea conferat, quae p. 20 sq. exposuimus.

[19] Barth. adv. I 8: Vixque soluta suis immittit verba figuris.

Quas primum infernis licuit cognoscere terris
Munere caelestum.

[20] Freier Woch. f. klass. Philol. 1889 No. 34; Rossberg Berl. phil. Woch. 1889 No. 34.

[21] N. Jahrb. 1889 p. 193.

[22] Durch die Gnade der Himmlischen ist es den Menschen zuerst vergönnt worden, sie (die Welt) genauer kennen zu lernen.

[23] Zur Konstruktion von licet (Archiv f. Lexik. 1900, t. XI, p. 9 sq.).

[24] J. H. Schmalz lat. Syntax und Stilistik in Stolz-Schmalz lat. Grammatik. Monach 1903[3] p. 287; J. Galbula Commentationes Latinae, Mattiaci, III. edit. 1879 p. 21 (VI. edit. Berol. 1892 mihi non praesto est); Drenckhahn lat. Stilistik Berol. 1887, p. 89; Karl Friedrich von Naegelsbach lat. Stilistik f. Deutsche (ed. I. Mueller), Norimbergae 1888 p. 190, ubi aliorum quoque librorum, in quibus de relativi pronominis usu agitur, inveniuntur tituli.

[25] Justin. XXXII. 4:

[26] Thomas p. 15; Housmann ad v. I 84, quo auctore codex M. habet commenta, de qua lectione nihil dicit Bechertus in sua Manilii editione. —

[27] Wölfflini Arch. f. Lexikogr. 1902, t. XII p. 144 de Tironianis verborum notis.

[28] Verg. Aen. I 605; praeterea Burmannus ad Phaedr. II, 5, 14; Muetzellius ad Curt. V. 4, 8; Korteus ad Plin. ep. 2, 5, 6 et Ellendtius ad. Cic. d. or. 1, 205.

[29] de formis coniuncte et coniunctim vid. Carol. Wagener Hauptschwierigkeiten der lat. Formenlehre, Gothae 1888 p. 32.

[30] I 711, 715; 595, 602; 459, 462; 551, 554; (bina), 551, 554 (signa).

[31] p. 19.

[32] Ex Housmani libro repetivi verba p. 54.

[33] Eandem scripturam in Claudiani codicibus qui volent invenient: cf. Birti ad hunc versum aliosque notas.

[34] De verborum iterationibus, quibus M. usus est, cf. quae scripserunt E. Mueller l. l. p. 70 n. et Kleinguentherus l. l., qui pp. 47—53, ut poetae officinam quodammodo accuratius illustraret, de versuum clausulis a poeta iteratis egit.

[35] Housman hat Recht, wenn er sagt, man suche vergeblich bei den Historikern nach dem Beweise dafür, dass ein Papirius dem König Pyrrhus im Felde entgegengestanden sei, wohl aber sei der Name durch die Samniterkriege berühmt geworden usw.

[36] Pyrrhus immanis dicitur a Iuvenale sat. XIV 162; de Pyrrho cum Hannibale a rhetoribus comparato cf. Claudiani d. bell. Poll. s. Gothico 154 et Io. Kvičala Enniana Zeitschrift f. d. östr. Gymnas. 1906, p. 109. De adiectivo immanis quo Scythae notantur, cf. Wölfflini Archiv. f. L. 1602, t. XII, p 26. — Ultorem Pyrrhi de populo Romano bene meritum esse ex iis licet intellegas quae Justinus (XXV 5) de hoc Romanorum adversario exposuit: Satis constans inter omnes auctores fama est nullum nec eius nec superioris aetatis regem comparandum Pyrrho fuisse . . . scientiam certe rei militaris in illo viro tantam fuisse, ut cum Lysimacho, Demetrio, Antigono, tantis regibus, bella gerens, invictus semper fuerit ... qui patriam certe suam augustam ignobilemque, fama rerum gestarum, et claritate nominis sui, toto orbe illustrem reddiderit.

[37] p. 72.

[38] Grundriss der römischen Geschichte III. edit. 1906, p. 70; Hermae t. XXXI p. 503.

[39] De aquis urbis Romea libri II. ed. Buecheler, Lips. 1858 p. 8.

[40] Ihne römische Gesch. t. I. Lips. 1893 p. 508: Ein römisches Heer unter dem Konsul Papirius vereinigte sich mit ihnen, um die Stadt von der Landseite zu blokieren (cf. Manil. per bella, Prinz. p. 120). Mommsen röm. Gesch. t. I. Berol. 1881 p. 410: Für die Römer war dies (die Übergabe der Stadt nach dem Tode des Pyrrhus durch Milon, der für Pyrrhus darin den Befehl führte) ein ungeheurer Glücksfall.

O. Jaeger Gesch. d. Altert. 1892[2] t. I. p. 285: dieses bedeutungsvolle Ereignis war besiegelt, als Milon auf die Nachricht von dem Tode seines Königs die Citadelle von Tarent an den römischen Konsul L. Papirius Cursor übergab (272).

[41] Ladewig-Schaper-Deuticke Verg. Aen. not. ad. I. 55; Norden Verg. Aen. VI. 1903, p. 407; Vahlen Ennianae poes. reliq. Lips. 1903, Wölfflini Arch. f. Lexik. t. III 343, XI 597, XII 10, 210, XIII 41, 443, 448.

[42] Wochenschr. f. klass. Phil. 1905 No. 29 p. 796.

[43] cf. etiam Housmani grandiloqui editionem D. Iunii Iuvenalis. Londini 1905 (Berl. phil. Woch. 1906 No. 22 p. 681), ubi paullo modestius loquitur: This work is not meant for a model.

[44] Ellis Hermath. l. l. p. 12: In so adventurous, not to say audacious a writer as Professor Housman, it will not seem surprising that a great many suggestions are very open to criticism. — Athenaeum 1904 No. 4005 p. 135: At the risk of being ranked with Vollmer and

Sudhaus (two of the editor's bugbears), we will say that Mr. Housman's attack on many passages seems to fail. — Many of his corrections exhibit startling audacity.

[45] Wochenschrift f. klass. Phil. 1905 No. 29.

[46] Supplementum disquisitionis de carmine in C. Silii Italici Punicorum l. l. XVII editione, commentario perpetuo illustrato ab Io. Chr. Theophr. Ernesti, vol. II. Lips. 1792 p. VI.

[47] Simili ratione a Lucretio carmen perfectum esse erant qui negarent; cf. G. van der Valk de Lucretiano carmine a poeta perfecto atque absoluto: Campis 1902 (Arch. f. Lexik. t. XIII, 142. De Manilii ingenio cf. Zeitschrift f. Völkerpsychologie 1878 t. 10 p. 443; Ed. Sherburnus, qui primum Manilii librum Anglice vertit commentarioque instruxit doctissimo; cf. Jaques (sic!) George de Chauffepié Nouveau Dictionnaire historique et critique t. IV, Amstelodami etc. 1756 p. 296 et 297; Lessing ed. Lachm. 1839, t. IX, p. 423.

[48] victor Hasdrubalis Buschii argument. in C Silii Italici Punic. l. XVII, edit. Bipont. 1784 p. XXVII.

[49] Suo iure Madvigii coniecturam «articulis» (adversaria crit. II 128) videtur reiecisse in Mus. Rhen. t. 41 p. 457 Buechelerus.

[50] Huius libri praesto mihi est editio a Vito Loers parata, Lipsiae 1843; cet. Ovid. libr. editio, quam fecit Merkelius.

[51] In Verg. verb. cit. sequor Ch. Ladewig et C. Schaper Vergils Gedichte (ed. Paul Deuticke) Berol. 1902.

[52] h. l. apte repetit illud corpora v. 55, atque ita consensu libri veteres omnes. Coniectura autem est pectora (Loers).

[53] Alia exempla collecta sunt a Becherto l. l., qui illam offensionem, quam Bentleius in vocabulo quodam (ipse) ter posito in initio primi libri notaverat, revera esse nullam usu certissimo Manilii evicerat.

[54] Loersii praef. ad Ovid. Met. p. VI, XX.

[55] Rob. Fuchs zu Serenus Sammonicus Arch. f. Lex. 1900, t. XI p. 46, 52, 208, 210; Barth advers. III 10; Drakenborch Sil. Ital. Traiecti ad Rh. 1717, ad XI, 133; L. v. Sybel de repetitionibus verborum in fab. Eurip. Bonnae 1868; Lehrs Arist. p. 477 (de rep. verb. apud Hom. et alios; Albrecht wiederholte Verse etc. bei Vergil, Hermae t. XVI, p. 393; Wölfflin. Philol. 1867, t. XXVI p. 122 sq.; H. Schmidt Der Prosastil Samuel Johnson's Francof. 1905, p. 40 sq. A. Lueneburg de Ovidio sui imitatore, Jen. 1888 (Berl. phil. Woch. 1889 No. 25); R. Ammann de Corippo prior. poet. Lat. imitatore, Oldenb. 1885; Koene üb. d.

Sprache d. röm. Epiker, Monast. 1840; A. Zingerle Ovid und s. Verh. z. d. Vorg. etc. Innsbr. 1869 sq.; Plaehn de Nicandro etc. Halis 1882; P. Thouvenin Philolog. t. 64; Paukstadt de Martiale Catulli imitatore, Halis 1876; E. Wagner de Mart. poet. aet. Augusti imitatore, Regim. 1880; F. C. Hultgen die Technik d. röm. Dichter, Jahrb. f. Philol. t. 107, p. 754.

[56] cf. etiam Wecklein Philol. t. LXIII, p. 154 (textkritische Methode) 1904.

[57] Accuratius perlegere non inutile esse censeo, quae explanavit Madvigius in adversar. critic. ad script Graec. et Lat. vol. I, Hauniae 1861 b I, c 1. (Causae et genera mendorum in veterum scriptorum codicibus.) Dolendum est, quod talem de Manilio commentationem adhuc non habemus, qualem de Vergilio scripsit Paulus Jahnius Philol. t. LXIII, 1904 (aus Vergils Dichterwerkstätte).

[58] Ex historiis praesertimque rerum Romanarum multa Manilium in opus suum detorsisse probat Lansonus de Manilio poeta eiusque ingenio, Parisiis 1887, t. 75.

[59] Appian Hannib. 52.

[60] fulgebit vera cod. lectio est; sunt qui falso praeferant vel turgebit vel lugebit.

[61] Lanson 1 l. p. 71 sq (quam rhetorice Manilius rem astrologicam tractaverit). Non pauci in tractandis Manilii verbis neglexerunt rhetoricum illud, quod eius proprium videtur esse, dicendi genus (Mueller l. l. p. 82). Gardthausen Augustus Lips. 1904, part. I, t. 3 (Philosophie im Zeitalter des Augustus) p. 1364; E. Norden Aeneis l. VI p. 322.

[62] Victus magni iacet Hectoris ultor, auct. Aetnae v. 591.

[63] Manil. IV 40, 48; Verg. Aen. I 298, 366; IV, 97, 347; Claud. ed. Birt. ind. s. v. Carth.

[64] Nep. Hann. 1 sq.; Liv. XXI, 1, 4; XXVIII, 12; XXV, 19; Cic. d. orat. I 210; Enn. sat. 14; Var. sat. Men. 55; Val. Prob. apud Gell. 4, 7, 2; novus Hannibal Cic. Phil. 13, 25; alter Hannibal Aur. Vict. Caes. 37, 2; Mithridates odio in Romanos Hannibal Vell. 2, 18, 1. Polyb. III 11, IX 22, XI 19, XXIV 9; Val. Mar. IX 3; Martial IX 43 (Hunc puer ad Libycas iuraverat Hannibal aras); Aur. Vict. de vir. ill. 42; Flor. II 6, 2; Oros. IV 14; cf. de odio etiam Schneidewin die antike Humanität, Archiv f. Lexik. 1902, t. XII, p. 149 sq.

[65] Clément essais critiques sur la littérature I 43; Ernestii ad hunc Sil. locum not. Lips. 1791 p. 8; Ruperti-Heyne, Goetting. 1795 p. 14.


[66] Ov. Met. IX 552 non celanda foret.

[67] Claud. de bell. Poll. 160 mollior aetas. — Ceterum comparativi qui vocatur a grammaticis formam ne nimis premam caveo non nesciens, quam saepe ea vis insit, uti explicemus: paullo mollior, nimis mollis; facile intellegemus propter metrum hoc loco non idoneam fuisse gradus positivi formam, quae est mollis; cf. Manil. V 550 in primo hexametri pede: mollia. In primo pede apud Ovid. in Met. inveniuntur: mollia I 20, 100, 549; IV 345; V 594; VI 256; X 125; XIII 816; molle XIV 558, 710; mollior XIII 796; mollibus IV 314; XIII 726.

[68] molliter in prima hexametri parte Manil. V 555, Ov. Met. XI 785.

[69] Vetusto in hexam. fine ablat. qui vocatur comparationis Claud. d. VI. consul. Honor. v. 500; vetustas et vetustus in hexametri exitu apud Claudianum (cf. Birti indicem), Ov. Met. saepe vetustus (I 400, 445, VII 446; XII 182; XIV 695; XV 156; 623; 872; vetustas IV 642; VI 521; VIII 745; XI 360); Manil. I 89 et 750; Sil. It. I. 72.

[70] De Housmano idem fere possumus iudicare, quod Wolfius de Bentleio (Lit. Analect. t. I., Berol. 1817 p. 59; cf. etiam Max Ihm R. Bentleys Suetonkritik 1901, Archiv f. Lexik. 1902, t. XII, p. 438) et Bechertus de M. emend. ratione p. 25 u. 33. —



Rerum index.



